Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

Reflexio

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

sit in simili necessitate licuit Davidi
absumere panes propositionis, qui-
bus tamen vesci precepto divino
prohibebatur, cur similiter non li-
ceret Christiano occulte comede-
re de idolothyto si fame pressus
id facere cogatur. Et hanc esse
mentem D. Augustini ~~ex~~ magis
ex eo innotescit, quod S. Pater
in proposito casu christianum
cibum, quem sciret esse idolothy-
tum edentem non absolute damnet
sed solum dicat, cibum huiusmodi
melius christiana virtute respui,
adeoq; eo vescentem minus fortè quidem
virtuosum fore non tamen ex hoc
~~peccatorum~~ criminis reum effici.

Reflexio.

Quamvis rigidioris sententiæ partes ~~secutus sim~~ amplexus
sim, non adeo tamen absoluta auctoritate opponitā
opinionem falsitatis arguere, permitto quippe quemlibet
in suo sensu abundare solum cum Apostolo inquiens
corinth. 7. Præceptum Domini non habeo, consilium
autem do; ut nimirum per angustiorem portam,
per arctiorem viam ad Xtum venire satagamus.
Quid enim pro negotio salutis nostræ nos operari
non oportet? quam nil arduum, nil grave, nil difficile
nos in eo remorari debet? Nullus labor durus ait D.
Hieron: in quadam Epist, videri debet, quo gloria
æternitatis acquiritur; ~~[illegible]~~
Si enim agricolæ spes messis laborem reddit iucundum
quid non efficiet spes mercedis; quæ transcendit
omnem intellectum?

Opportunè in persona eorum, qui semper probabiliora ac tutiora, ~~licet~~ reluctante † naturâ, amplectuntur, ait Ecclesiasticus c. 51 videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni michi multam requiem: 1.mo quidem ante mortem; nam æmulando charismata meliora quietam ac securam conscientiam, quæ est quasi iuge convivium, nactus sum. 2do. in morte; quam cum gaudio excipio; * dulcis enim est somnus operanti. † 3.tio post mortem; quia tunc implendum spero illud Apoc. 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.

† licet

† Eccl. 5.

Eia igitur animæ Religiosæ, rogamus vos, ut utamur verbis Apostoli 1. thess. 4., ut abundetis magis /: videlicet charismatibus melioribus :/ et ut negotium vestrum agatis, id est ad laboretis per arctiorem, iuxta et perfectiorem viam pervenire ad cœlestem gloriam. etenim cum in sortem Domini vocati, et à communi populo segregati in loco excelso positi simus eâ sanctimoniâ, et morum integritate præditos nos esse decet, ut re ipsa de nobis dici possit, quod in scripturis legimus, genus electum, gens sancta. et iterum, ibunt de virtute in virtutem. quamobrem non satis sibi constat eorum agendi ratio, quibus ad perfectiora gradiendi necessitas incumbit, si relictis probabilioribus ac tutioribus solùm minùs probabilia ac minùs tuta amplectantur. Quis enim inde quædam animi remissi signa non colligat? quis inde teporis Deo invisi vestigia non deprehendat? Quapropter fratres mei dilecti sic rursus nos adhortatur Apost. 1. cor. 15 stabiles estote et immobiles abundantes in opere Domini semper scientes,

quod labor vester non est inanis in Domino. agite agite, quod quod poteritis agere, dies enim forsan non elongabuntur, quibus Deus completurus est labores vestros, o qualis et quam magna erit tunc vestra moriendi fiducia! habitrangs magnam fiduciam feliciter moriendi fervens desiderium in virtutibus proficiendi et indefessus ad meliora, probabiliora, tutiora ac perfectiora adnisus.

Caput 6tum.
De
Conscientia Lata.

Definiebamus cap: 2. conscientiam latam, quod sit quoddam judicium de bonitate operis ex levissimis et quidem cupiditati faventibus argumentis. sic vg: qui propter solam Authoritatem extrinsecam unius aut alterius Doctoris, quos constat multa improbabilia docuisse, judicat non esse contra votum paupertatis Religioso unum vg: aureum retinere absq; ulla licentia superioris, ille profecto latam habere conscientiam.